



Δυναμῶν ἰψῖς!

1672, 24

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
PRIOR

28

# De Causa- litatibus Causarum,

*Quam*

INDULTU

Amplissimæ ac Spectatissimæ  
Facultatis Philosophicæ

*in Electorali Lipsiensium Academiâ,*

publicæ ac placidæ Sophorum,  
disquisitioni

*in Auditorio Eorundem*

ventilandam submitunt

PRÆSES

M. DANIEL *Wintzer* / Halâ-Saxo,

ET RESPONDENS

HARTMANNUS WILHELMUS *Höffler* /

Francohuf. Thur: Phil. & LL. Stud.

*Ad 17 diem Augusti Ann. MDC LXXII.*

---

LIPSIÆ, Typis JOHANNIS ERICI HAHNL.

1672





Amplissimum ac Speciosissimum

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

PRIOR

De Causis

Causarum

INDERTU

Amplissimum ac Speciosissimum

Facultatis Philosophicae

in Universitate Lipsiensi Academiae

publicae ac privatae Sophisticae

consuetudinis

in Universitate Lipsiensi

consuetudinis

M. DANIEL

ET RESPONDENS

HARTMANNUS WILHELMUS


Philosophiae Doctor

in Universitate Lipsiensi

Typis Johannis Erici Harni







Dei Virtute!

DISSERTATIONIS PHILOSOPHICÆ

de

# Causalitatibus Causarum

## SECTIO I

### DE CAUSALITATE IN GENERE, & IN SPECIE CAUSÆ EFFICIENTIS.

#### TH. I.

**C**AUSALITATIS vox originem traxit Philosophis à *causâ*, cuius formalem ac specificam rationem in producendo altero exerte satis declarat, haud aliter atque *Moralitas*, Practicis dignum evolutione vocabulum, appellationem à moribus indepta, quorum ad honestum pariter & vitiosum indifferentia eidem opponitur.

#### TH. II.

Sumitur hōc locō

Non in *latiori* significato, pro causalitate nimirum ejus etiam, quod principii quidem rationem habet, utut maximè causaliter non influat; quā in significatione *privatio* causæ nomine ab *Aristotele* vocatur *XII Metaphys. c. II.*

Nec in adeò *strictiori*, pro solâ *efficientis* causalitate; quæ sicuti per excellentiam interdum causa dicitur, quòd in effectûs productionem influere magis perspicuè præ ceteris ipsi competat, ita causalitatem quoque ejus hâc voce absolutè positâ κατ' ἀντινομασίαν quandoque indigitant: Ut inde & regulâ illâ, *qualis causa,*





*talis effectus, efficientem denotari, dubitari amplius vix oporteat;*

Sed *strictè & propriè* pro omni eò ac solò, quod verus atque realis est influxus, cuilibet causarum propriè dictarum generi conveniens.

TH. III.

Dicitur & aliò nomine *Causatio*, Fr. Svarazio *Disp. Met. XII, S. II de commun. rat. causa, num. XII*; item *ratio causandi proxima*, Eidem *D. XII, S. X de Causal. agent. num. I*; ideò, quia per eam causa proximè attingit effectum tanquam terminum suum; & contradistinguitur *rationi causandi* absque appposito, sive *potentia causativa*, quam causalitas prærequirit: Actus enim secundus perpetuò præsupponit primum: Et *effectus formalis actualis ortus à formâ in actu, est effectus potentialis ab eadem formâ in potentiâ: sicut videns in actu est à visione actuali, visivum est à visione in potentiâ*, ut mutuemur hæc à P. H. de Mendozâ, Valmasedanò, *D. Phys. II, S. II, Subf. I, §. 15.*

† Adverte autem, nonnullos hæc duo confundere, veluti P. Fonseca, qui *V Met. c. II*, in quatuor causarum, materiae *q. I, p. 71*; formæ *q. II, p. 76*; efficientis *q. V, p. 93*; & finalis *q. X, S. III, p. 158*, expositione, utrobique adhibet *rationem causandi* pro nostrâ *causalitate*. Quamquam ipse non ignoravit hunc aliorum Peripateticorum terminum, quippe post eorum mentionem in primò locò mox subjiciens: *quò pacto ratio causandi agentis non est NB vis, quâ agere potest, sed dici solet actio ipsa, quâ actu & formaliter agit, & à quâ formaliter denominatur agens.*

TH. IV.

Constituitur itaque per hanc *Causalitatem* causa,

Non quidem ut causa est *in actu primò*, quippe ubi potentia causandi duntaxat innuitur, sive in actum deducatur, sive non: quæque nec reverâ & realiter causa est, nisi v. g. aurum, quod potentiam poculum est, reverâ

ac



ac formaliter & non per Metonymiam poculum nuncupari velimus;

Sed ut est causa in actu secundò, h. e. quatenus reipsa agit, causandoque esse in aliud influit: quia

Cujus beneficiò ens formaliter est causa, illius beneficiò formaliter quoque constituitur in actu secundò.

A. beneficiò Causalitatis ens formaliter est causa. E. Major firmò nititur talò: siquidem ut nulla unquam causa, quæ causa, actu primò, ita potius semper, quæ formaliter talis habetur, actu secundò existit.

TH. V.

Definitur ex prælibatis hæc Causalitas in latitudine sumpta, & à reliquarum causarum speciali consideratione præscissa, quòd sit *influxus realis*, quò causa actu & realiter communicat esse alteri.

TH. VI.

Pro cujus definitionis, quæque eidem insunt, faciliori notitiâ juxta ac uberiori deductione advertet, quòd per *causalitatem* hanc & genus ejus *influxum* cum accuratissimis *Scholasticis* intelligamus

Non *absolutam causæ entitatem* aut *essentiam*, vel *causandi potentiam*; quia manet causæ entitas sua absoluta, manet eidem causandi insimul potentia, utut hanc in actum non deducat, vel esse in aliud reapse non influat: sicuti, quòd exempli locò addimus, disertissimus quispiam, à declamandi vel disputandi consuetâ operâ non nihil remittens, non minus facundus permanet, & differendi pollet potentiâ, ac si ipsò actu in arenam cum altero descendat, & quam mente premit, ore promat sapientiam. At verò causalitatem, tanquam quidditativum influendi conceptum, nulli nisi actuali & formaliter sic dictæ causæ competere, ceu declaratum hîc profitemur.

Nec *causatum, sive effectum*, ex eò, quia hic posterior est in se & naturæ ordine præsupponit causam; secus autem



causalitas, cum illa sit ipsissima motio, quâ res cau-  
sando alterum producit: Jam igitur sine insigni con-  
tradictionis notâ asserti haud potest, id, per quod ali-  
quid formaliter existit, posterius esse eò, quod per  
ipsum formaliter existit, quemadmodum scriptio, li-  
teras aut lineas efformans, neque ipsum est elemen-  
tum, neque elementis posterior, sed simpliciter illud,  
quod mediante causalitate talia effectivè attingit.

Nec denique *predicamentalem relationem causa ad effectum*; quia (1) judicante ita summò quondam Philosophò pariter ac Theologò, Hieron. Pratoriò Canon. *Metaph. P. G. S. XVII, Can. I, p. m. 275*, relatio ejusmodi nullius planè est activitatis: neque (2) ex relatis unum alterum præcedit, causamque ad agendum disponit, atque adeò effectum naturâ prius est, quæ in causalitate aliàs exquisitè reperiuntur, prout ea acutissimus alius Jenensium Philosophus, B. Stalius *Institut. Metaphys. c. XI*, ostendit.

Sed medium quoddam inter tria antè evoluta prædicata, *modus nempe vel interveniens aliquid inter causam atque effectum*, per quod causa formalissimè est causa, & in actu secundo constituitur.

TH. VII.

Divisionis fundamentum agnoscit numerum & genera causa-  
rum: Cum enim causalitas sit id, per quod causa formali-  
ter est causa, sponte sequitur, tot dari causalitates, quot cau-  
sarum dantur genera; quia id, quod est, esse nequit sine for-  
mali ratione seu eò, per quod est id, quod est. Secundum  
hypothesin igitur quaternarii causarum numeri, non abs-  
que felici & solido orbis literarii, imprimis Aristotelico-  
rum, emolumento corroboratam, quatuor nobis prodi-  
bunt causalitates, *Actio videlicet efficientis; forma receptio  
ac retentio materialis, ipsa informatio causæ formalis, &  
motio objectiva causæ finalis.*

TH. IIX.

**E**FFICIENTIS nunc itaque Causalitas primum occupat lo-  
cum, estque Non



Non *modus quidam intrinsecus ipsi agenti*; sicut in aliis cau-  
sis causalitas uniuscujusque est *modus ejus intrinsecè*  
illam efficiens, quod volunt nonnulli apud *Fr. Svarezio*  
*D. Met. XIX, S. X de Causal. ag. n. III*; quia neque  
ille *modus est necesse*, neque omnimoda inter causas  
paritas requiritur, cum nec eadem omnium sit ratio,  
ut pluribus deduxit & prolixioribus idem *Metaphysi-*  
*corum Parens d. l. n. IX, seqq.*

Nec *agere* in concreto, aut *efficere* vel *producere rem*, sive,  
quæ synonyma statuunt, *dare esse rei productivè*, *dedu-*  
*cere rem efficiendò adesse*, uti ad mentem Thomæ sentit  
P. Soncinas *V Met. Q. IV*. Chryf. Javellus *Qq. in A-*  
*rist. Met. V, q. IV, p. m. 157*, quemque hic allegat, Her-  
veus *Qvodlib. II, q. I, & Qvodlib. IV, q. IIX.*

Sed in abstracto *actio*, asserentibus Svarezio *D. Met. XIX,*  
*S. X de causal. agent. n. V*. Alberto II. *Phys. tract. II,*  
*c. VI*. Anton. Ruvione *L. II. Phys. Tr. IV de caus. eff. q.*  
*I, n. 10*. Collegio Conimbric. *II Phys. q. VI, & αεγς τῆ*  
*ἰδοιτωορῆαν* Arriaga *D. IX Ph. S. III*. Ex recentioribus  
Gilb. Jacchæo *Inst. Met. L. III, c. IV, p. 110*. Scheiblero  
*Topic. c. III, n. 6, seqq.* P. Musæo *Inst. Met. c. XIII, S. 3, seq.*  
Rudrauff. *Curs. Met. Disp. X*. quia

Q. primò largitur denominationem intrinsecam a-  
gentis, illud largitur etiam denominationem in-  
trinsecam efficientis.

A. actio primò largitur denominationem intrinsecam  
agentis.

E. largitur etiam denominationem intrinsecam effici-  
entis, consequenterque actio efficientis est causali-  
tas, utpote quæ nihil est aliud quam agendi princi-  
pium, per quod tanquam formam ens causæ natu-  
ram induit.

Major constat: siquidem agens & causa efficiens (pro-  
ut latiore significatum hîc spectamus, vid. Hacke-  
rus *Clav. Philos. p. m. 437.*) idem seu eadem causa est,  
faten-



fatentibus quoque in contrarium adductis *Aa*. In-  
formavimus autem sic propositionem studio, ut sa-  
tis fiat allegato *Javello*, qui hujus opinionis rationes  
concludere quidem ait, actionem esse necessario re-  
quisitam in causa efficiente, non tamen inferre,  
quod sit primum præstans causalitatem efficienti.  
Minoris probationem sufficere unicò dare: Scilicet,  
*scriptio* est formalis ratio, à qua quis dicitur *scribens*,  
vel, quod eodem recidit, *scriptio* primò atque in-  
trinsecè denominat scribentem, & *lectio* primò at-  
que intrinsecè *legentem*, atque adeò & actio primò  
juxta ac intrinsecè agentis denominationem lar-  
gitur: Par enim utrobique est ratio, & quæ habitudo  
scriptionis ad scribentem, lectionis ad legentem,  
ea quoque actionis est ad agentem.

TH. IX.

Dissentit autem, ut & hoc moneamus, citatus *Javellus* à nobis  
Non in totum & secundum rem significatam;  
Sed in tantum & secundum modum duntaxat significandi,  
quod expressis verbis *solut. Dub. 1, p. m. 158*, fatetur, dum  
*actio, agere, efficere rem, dare esse effective, causari ef-*  
*fective* idem *Ipsi* esse videntur, imò reverà sunt; differ-  
re autem in eò, quod *actio* significet *formam*, quæ est  
*actio, agere* verò significet *habere actionem*, & *efficere*  
*rem* significet *habere efficientiam super rem*. Quæ qui-  
dem omnia sine controversiâ vera esse concedimus,  
sed quod inde deducit, *in concreto ista dicere causalita-*  
*tem agentis, non item in abstracto*, id verò est, quod ma-  
ximè improbamus. Causalitas etenim cum simpli-  
cem dicat influendi conceptum, satius profectò erit  
simili illam efferre terminò, quàm compositò aut  
duos conceptus involvente intellectui sistere: *Forma-*  
*lius* quippe sic judicabit aliquis, quomodo efficiens per  
*actionem* (tanquam *formam*) esse communicet effe-  
ctui, quàm quomodo per *habere efficientiam super*  
*rem* producat effectum: Ibi nempe *agens & causalitas*  
ipsius,



ipsius, actio, seorsim enunciantur, hinc agens in habere actionem, atque adeo causans in causalitate sua incommodè repetitur.

TH. X.

ETSI verò actio ab agente oritur seu promanat, ab ejusque virtute dependet;

TAMEN non sequitur, actionem esse effectum causæ efficientis, sicque non ejus causalitatem. Aliud namque effectus, aliud modus producendi effectum vocatur. Actio formaliter accepta dum ab agente sive efficiente oritur, ab illò minimè ut effectus ipse, sed propriè loquendo ut ratio, quâ mediante producitur effectus, oritur. Cujus argumentum sufficiens est, quòd potest manere effectus sine tali modo, aut variat à dependentiâ, quod idem est. Est enim ille modus emanatio sive dependentia effectus à causâ agente: Potest autem effectus nunc dependere ab hac causâ, & postea ab aliâ, & ita potest variari in illo dependentia circa eundem effectum, & tunc nihil aliud variatur, quàm causalitas agentis, aptè nobis scripsit Suarez D. XIIIX, S. X, n. IIX.

Sed nondum sic omnis difficultas sublata. Fonsca enim V Met. c. II, q. V, S. III, p. 95, postquam examinata accuratiùs proposita nostræ sententiæ assensum forsitan hinc dubiò revocari posse dixerat; \* *Nec refert*, subjicit, *quòd actiones non dicuntur propriè fieri*. Neque enim querimus h. l. quid propriè dicatur fieri, sed quid propriè pendeat ab agente, ut à causâ quâdam à ceteris distinctâ, etiamsi non propriè fiat. Nam formæ, quæ educuntur è potentia materia, non dicuntur propriè fieri, & tamen verè comparantur cum naturalibus efficientibus, ut effecta cum suis causis.

Quocirca Ipse, modestior aliis, ut ne communem loquendi modum facile rejiciat, *actionem esse* generalem rationem causandi (causalitatem) effi-

B

cientis



cientis largitur quidem, censet tamen *actionis* no-  
men non accipiendum esse pro operatione agentis,  
quæ subjectum supponat; sed pro influxu, quò aliquid  
potentiâ ad actû producitur, sive id propriè fiat,  
sive impropiè. Hòc enim influxu distingui-  
tur causa efficiens à ceteris causis, cum eò positò,  
primum ponatur agens in actû, sublatò autem,  
primum tollatur. Atque hic influxus videtur  
planè significari, cum agens definitur esse id, un-  
de primum oritur mutatio. Neque enim dici-  
tur, unde primum oritur effectus, sed mutatio:  
ut vel hinc colligas, non ipsam mutationem, sed  
influxum sive originem mutationis esse agendi  
rationem iis agentibus, quæ agunt per modum  
mutationemvè; proinde influxum agentis esse  
ejus generalem ac propriam causandi rationem.  
Atque hoc crediderim Ipsum præprimis scripsisse,  
intuitu actionis, quâ aliquid fit ex aliquo, & quâ fit  
aliquid ex nihilo, ne scilicet illæ sub unâ & eadem  
ratione comprehendantur, cum diversissimæ sint,  
& agere ex nihilo, h. e. nullâ re suppositâ, ex quâ  
ut ex causâ materiali seu subjectivâ res fiant, neces-  
sariò indigeat virtute infinitâ: agere autem ex ali-  
quo ut ex materiali causâ non item, in fin. S. I & III.  
quòdque, ut antè posuerat Rat. 3, actio non possit  
esse ratio causandi respectu creantis: cum creatio  
non sit actio, si propriè loquendum est. Neque  
enim creatio supponit subjectum, quod tamen com-  
mune est omni actioni propriè dictæ.

Quæ ejus additiones ut non planè nullæ sunt, ita à no-  
bis proximius dissentire arbitror. Ut autem ad Instan-  
tiam illam \* non nihil respondeamus, dicimus omninò  
referre, quòd actiones non dicantur propriè fieri. Inter-  
dependentiam enim causativam per modum effectus, &  
inter-



inter aliqualem ab agentis virtute promanationem  
multum sanè est discriminis. Indigitamus unicè h. l.  
verum effectum per se à causâ intentum & causativè  
productum, non verò *concausatam quasi* (ut  
*Svaresii* mea faciam) causalitatis pendentiam. Ad-  
dantur reliqua sapiens allegati *Svaresii l. c.*

TH. XI.

ETSI quidem hæc vel ista res, quæ causa est, transactâ vel cessan-  
te actione, durare actu potest;

TAMEN non sequitur, posse aliquid esse causam efficientem alte-  
rius, ut amplius non agat; & p. c. in actione non stare cau-  
salitatem efficientis, ceu *d. l.* arguit *Javellus*. Quis enim  
durationem istam sub ratione causantis actu concipiet?  
Cum vel meridianâ luce clarius pateat, ipsam efficientem  
causam cessante actione neutiquam influere actualiter in  
effectum. Ac proinde licet verum sit de ranâ genitâ, quod  
pendeat à Sole tanquam ab efficiente, ut probationis locò  
contra nos subjicit *Javellus*; non tamen Sol actu & *partici-  
pialiter* ranæ à se productæ causa efficiens est, utut forsan,  
causa effectrix *nominaliter*, ceu *Franciscus Bone Spei* loqui-  
tur, dici queat, quia nempe olim eam generavit. Sicut  
nec vice versâ rem productam (*ranam*) tunc sub illò con-  
ceptu formaliter & actu ipsò effectum dici possibile est;  
quamvis facile demus, rectè affirmari posse, hanc vel il-  
lam rem, hunc vel illum effectum dependisse quondam,  
ab eâ efficiente causâ, (*Sole*), cujus actio formalissimè se-  
tùm exeruit. Celebrem Jesuitam *Fonssecam* insuper audi,  
quî locò præced. *Th. citatò*, non ablutente hinc responsione  
utens: *hæc*, inquit, *objectio non est ad rem, ut enim h. l. non  
agimus de iis, quæ dicuntur cause, quia possunt aliquid effice-  
re, aut omninò causare, ita nec de iis loquimur, quæ ali-  
quid in præterito tempore fecerunt, aut quò-  
vis aliò modò causarunt, sed de iis, quæ sunt  
actu cause, b. e. à quibus effectus actu pendet.*



TH. XII.

ETSI actio non est in causâ efficiente, quia nempe non est in agente, sed patiente;

TAMEN non sequitur, actionem haud esse causalitatem ejus. Quod si enim aliquid dicitur agens per denominationem extrinsecam, ab actione videlicet, quæ extra illud est, quidni etiam dici aliquid possit causa efficiens per denominationem extrinsecam, ab effectione, quæ extra causam efficientem est?

SECTIO II  
DE CAUSALITATE MATERIÆ.

TH. I.

MATERIÆ Causalitas

Non una est atque simplex, velut reliquarum causarum; quò inclinavit *Fonsæca* mox *Th. II* citandus;

Sed pro diversâ ejus consideratione, ac influxu

Respectu *FORMÆ & COMPOSITI IN FIERI* est *passio*, quâ recipit in se formam. Nimirum eò ipsò, quò principium quoddam in subjectam sibi agit materiam, fit vel producitur tum forma, tum compositum: Porroque sicut illud prius, quod agit, beneficiò actionis causa est efficiens: Ita hoc alterum ideò, quod patitur, causæ materialis naturam induit; ceu ex sufficienti partium enumeratione, ponit hîc consentiens nobis *Javellus V Met. Q. II, p. m. 152*; itemque *Dn. P. Musæus Inst. Met. c. XVI, §. 8.* Et ratio hujus asserti est, quia

I. Q. tanquam proprium & essentielle convenit passivæ potentiæ, qualis materia, in eò materiæ consistit causalitas.

A. patiendo in se recipere formam, tanquam proprium & essentielle convenit passivæ potentiæ.

E. in patiendo sive passione consistit materiæ causalitas.

II. Ex



II. Ex quocumque datò, actualiter forma & compositum, producuntur, illud causalitas est materiæ in fieri formæ & compositi.

A. datâ passione, ut dependentiam à materiâ denotat, forma & compositum actualiter producuntur.

E. passio causalitas est materiæ in fieri formæ & compositi.

Ad cuius argumenti illustrationem addi possunt, quæ paulò prolixiori serie de ejusdem nervo differit Celeberrimus *Stalius Metaphysicarum Instit. c. XV, Concl. 1.*

Respectu *EORUNDEM* verò *IN ESSE FACTO*, sive *POST MOTUM*, uti *Svarez D. Met. XIII, S. IX, n. IX* loqui amat, est *unio inter materiam & formam*:

Clarum id est quoad *compositum*; siquidem per hoc ipsum, quòd inter materiam & formam intercedit unio, cumpositum est & subsistit. Pro quâ sententiâ militabit argumentatio *Stalii l. d. Concl. II*, omisâ semper particulâ *formæ*, h. m:

Quòc. positò, materia est causa compositi in facto esse, & quocumque sublato, materia non est causa compositi in facto esse, illud ipsum est materiæ causalitas respectu compositi in facto esse.

A. unione inter materiam & formam positâ, &c.

Quòd verò *ad formam* attinet, est *dependentia ejusdem in esse suo à materiâ*; & *immaterialis* quidem formæ dependentia in esse duntaxat actualis sive formaliter talis causæ, non simul absolutò, sive non quoad esse simpliciter, quippe suppositò, quòd sit incorruptibilis, separata à materiâ adhuc stat in esse; verùm quoad actum informandi ab illâ, eò quòd separata non est actu forma corporis: *Materialium* verò tam secundum absolutum, quàm secundum actuale esse, quoniam si separantur



tur à materiâ, desinunt esse, & desinunt informare, de-  
structâqve materiâ destruitur hîc & forma.

TH. II.

*P. Fonseca, Lusitanus*, quavis in eò à nobis dissentiat, quòd re-  
futatis quorundam de causalitate (In hunc enim ter-  
minum mutabimus ejus *rationem causandi*, ut *præce-*  
*dentis Sectionis Tb. III* animadversum,) opinionibus  
*L. V Met. c. II, q. I, S. II & III* conjiciat, *unam genera-*  
*lem causalitatem in materiâ* non solum assignari posse,  
sed etiam debere, eamqve nihil esse aliud quàm *susti-*  
*nere formam*, quatenus exercet officium formæ,  
sive, quod idem est, munus informationis; Non di-  
xerim tamen *Ipsam*, sicqve etiam secutos fortean eum  
in hòc negotiò *Javellum l. c. & B. H. Prætorium Can.*  
*Met. P. G. S. XIX, can. I*, per suam formæ sustentatio-  
nem intendisse illam *Svarezii l. c.* unionem, quod existi-  
mat laudatissimus aliàs nobis Philosophus non-nemo  
*in Metaphysicis*. Præterquam enim quòd mentem su-  
am adeò apertè declarant, præprimis *Fonseca*, qui sta-  
tim initiò *S. III, rat. secundâ: cum nihil*, ait, *relinqua-*  
*tur*, quod *ratio causandi* (causalitas) esse possit, nisi  
*sustentatio formæ quoad informandi offi-*  
*cium*, (NB hòc enim pactò *omnis forma*  
*pendet à materiâ*,) efficitur, ut *hac ipsa dicenda*  
*sit ratio causandi* (causalitas) *materiæ*. Præterea cum  
*materia sit potentia quædam*, ex ordine ad actum vendi-  
care sibi debet *rationem causandi*, (causalitatem,) quem-  
admodum *ceteræ potentiæ*. Cum illa ergò sit *potentia pas-*  
*siva*, in eò consistere debet *ejus causandi ratio*, (causalitas,) *quòd*  
*ejus actus pendeat ab illâ ut sustinente*, (neqve enim  
*aliter actus potest pendere à potentiâ passivâ ut passiva est*,)  
*atqvi non omnis actus materiæ*, quem *formam* appellamus,  
*pendet à materiâ*, ut à quâ *sustineatur*  
*quoad existentiam*, ut patet in *formâ humanâ*:

& tamen



*Et tamen omnis forma pendet ab eâ quoad infor-*  
*mationem*; præter hæc, inquam, ita dubia de animâ  
rationali objicienda resolvunt, ut *ὁμόψυφα* planè ce-  
teris Philosophis asserant, quorum ideò & ductum, &  
quantum licuit, scientes arripuimus.

TH. III.

Ersi entitates præter necessitatem non sint mutiplicandæ; at-  
que adeò superfluum fermè, tales causandi modos va-  
riare ac proponere: Cùm namque *dependentia à causâ*  
*materiali intrinsecè & essentialiter includat unionem*, ita  
ut neque fieri neque intelligi possit, quin illam intimè im-  
portet: Ergò *inbasio, quæ idem est, quod dependentia ma-*  
*terialis, non est modus ex naturâ rei distinctus ab unione*  
*formæ inherens, sed est veluti species unionis in commu-*  
*ni*; nam alia est *inbasiva*, alia verò non, colligente sic in  
contrarium *Svareziò l. c. n. XI.*

TAMEN sententiæ nostræ nihil inde decedit, quia eâdem facilita-  
te, quâ dependentiam formæ à materiâ in unione in-  
cludi *Svarezius* asseruerat, rejicit istud *Mendoza Disp.*  
*Phys. V, S. III, §. 27*, [ubi obiter notes *σφάλμα*, dum  
*Vazquez* legitur pro *Svarez.*] non improbabile cen-  
sens, posse de potentiâ absolutâ formam dependere à  
materiâ, & illi non uniri; forma enim producitur ge-  
neratione distinctâ à generatione unionis, cur autem  
Deus non possit producere primam sine secundâ? Item  
potest uniri forma materiæ, quin dependeat ab illâ?

TH. IV.

Ersi ratio causandi materiæ (tanquam actus primus) una tan-  
tummodò est & simplex, nempe passiva potentia.

TAMEN non sequitur, unam & simplicem quoque esse debere cau-  
saliatatem, per quam materia constituitur causa in actu  
secundò: quia ab unò actu primò plures possunt ope-  
rationes procedere, & una potentia passiva ad u-  
tramque causalitatem materiæ sufficere: sicque adeò  
per passivam potentiam & compositum ex materiâ fit  
vel producitur, & forma educitur, eademque à mate-  
riâ in esse suò dependet.

TH. V.



ETSI causalitas materiæ nihil propriè producit, sed tantummodò componit;

TAMEN non sequitur, unionem esse causalitatem quidem materiæ respectu compositi, at non propriam, ut sequi disputat Rodericus de Arriaga D. Phys. IIX, S. II, n. II; qui proinde unionem illam appellat rationem duntaxat formalem, quâ partes per sui communicationem componunt, non tamen efficiunt totum, *preced. S. 1, n. 3.*

Quid enim, si hæc sumamus cum Scheiblero Topi-  
cor. c. IV, n. 36, & dicamus, materiam causalitate suâ concurrere ad esse compositi, nihil esse aliud, quàm eam essentialiter & intrinsecè componere, vel constituere, vel perficere? Unde ille mox subjicit: Nugæ igitur sunt, indignæ refutatione, quòd quidam dicunt, materiam (ut & formam) quatenus sunt in composito, non exercere officium causarum, sed solùm officium partium.

## ADDITAMENTUM.

**M**edium diximus causalitatem certò modò S. I Th. VI. inter tria nempe illa, quæ *ibidem* removimus. Occasione hujus observari potest, quod inter legendum notavimus ap. Saresium, qui D. XIIIX, S. X, n. IIX de ratione causalitatis esse ait, ut habeat immediatam habitudinem ad causam, & sit quasi medium aut vinculum inter causam & effectum. Num digitum in id direxit Jo. Zeisoldus Not. in Gilb. Jacchæi Inst. Phys. L. II, c. VI, lit. h, dum inquit: Actio ergo, quæ efficientis causalitas, propriè non erit medium efficientis ad producendum effectum suum, nisi dicere vel admittere velis, efficientem causam ipsam esse medium ad effectum à se producendum, cum actio, ut causalitas efficientis est, ab ipsâ non sit distincta, sicut & præcisè causalitas à causa non est distincta; at verò omne medium est distinctum ab eò, cujus est medium? Imò strinxit, opinor, Zeisoldus hæc in ipsum Jacchæum, qui in Inst. Metaph. causalitatem expressè medium vocat, uti sumes ex verbis Eiusdem, quæ L. III, c. I, p. 97, post communem causæ definitionem subdit: Causa h. m. definita constituitur in actu secundo sive in esse causæ NB per causalitatem. - Concurfus autem iste sive causalitas est quid medium inter causam & effectum. Atque hunc locum innui puta ab eòdem L. III, c. III, p. 107, ubi sic: Diximus jam antè causalitatem esse medium inter causam & effectum.





Leipzig, Diss., 1672 (1)

TA-OL

32.1+28


ULB Halle 3  
004 770 846




1077











ψ158!

1672, 24

28

LOSOPHICA

litatibus

um,

tu

oeclatissimæ

osophicæ

m Academiâ,

ophorum,

undem

stunt

tzger / Halâ-Saxo,

ENS

ELMUS Hüffler /

& LL. Stud.

M DC LXXII.

ERICI HAHNL.

1672

